



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. I. Vtrum in justificatione impii verè remittantur & tollantur peccata, vel
duntaxat justitiâ Christi regantur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

DISPUTATIO PRIMA DE IUSTIFICATIONE.

Ad questionem 113. Divi Thomae.

ACTURUS D. Thomas de effectibus gratiae, prius de iustificatione quam de merito differit: tum quia prius est hominem esse iustum, quam opera aeternae vitae meritoria exercere, juxta illud Augustini: *Bona, (id est meritoria opera) non procedunt iustificandam, sed sequuntur iustificatum:* tum etiam quia iustificatio procedit à gratia habituali in genere causae formalis; meritum verò quasi in genere causae efficientis; cuiuslibet autem formae prius & in mediatus convenit effectus, cuius est causa in genere causae formalis, quam qui ab ea procedit in genere causae efficientis.

ARTICULUS PRIMUS.

Virum in iustificatione impii verè remittantur & tollantur peccata, vel duntaxat iustitia Christi tegantur?

§. I.

Referuntur tres haereticorum errores, & primus refellitur.

Tres sunt praecipui haereticorum huius temporis in materia de iustificatione errores: In primis enim docent, in iustificatione verè & proprie peccata non remitti, aut deleri, sed duntaxat radi, vel tegi per iustitiam Christi nobis imputatam, eo ferè modo, quo vulnera & ulcera alicujus possunt tegi vel occultari sub veste alterius. Unde sicut Jacob Genes. 27. indutus est veste Esau, ad benedictionem obtinendam, & de facto illam obtinuit, quasi esset Esau, cum tamen revera esset Jacob; ita (inquiunt) peccator indutus Christi iustitia, obtinet benedictionem à Deo, quasi esset iustus, cum tamen revera sit & maneat peccator & iniustus. Secundò dicunt, iustificationem non fieri per introductionem alicujus formae, animae inhaerentis, sed per solam iustitiam Christi nobis imputatam. Tertio affirmant, ad iustificationem non requiri aliam dispositionem ex parte nostri, quam actum fidei, quo certò credimus nobis imputari iustitiam Christi, & quo veluti manu talem iustitiam apprehendimus, & trahimus ad nos, eamque nostram facimus. Primum errorem hic refellemus, secundum articulo sequenti; tertius verò infra à nobis confutabitur, cum de dispositionibus ad iustificationem necessariis sermo erit.

Dico igitur, in iustificatione verè & proprie remitti peccata, & non solum ipsa Christi Domini iustitia, tanquam pallio aut veste candida, tegi vel occultari. Conclusio est certa de fide, definita in Tridentino sess. 5. can. 5. his verbis: *Si quis dixerit peccatum originale non verè tolli per gratiam Christi, sed tantum radi, & non amplius imputari, anathema sit.*

Tom. IV.

A Eadem veritas ex Scriptura manifestè colligitur. Nam Joan. 1. peccata dicuntur tolli & auferri: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Psalmo 50. ea dicuntur deleri: *Dele iniquitatem meam.* Homo etiam per infusionem gratiae dicitur mundari, abluì, lavari, ac dealbari: Psalmo 50. *Asperges me Domine hyssopo & mundabor.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquamentis vestris,* 1. ad Cor. 3. *Hec sicutis aliquando (id est adulteri, maledici, raptores &c.) sed abluuntur, & sanctificati estis, iustificati estis.* Isaia 1. *Si fuerint peccata tua sicut cocco, quasi nix dealbentur, & si fuerint rubra velut vermiculus, quasi lana alba erunt.* At illi termini, seu modi loquendi Scripturæ, non solum occultationem peccatorum, sed veram ipsorum abluitionem important, ut de se patet; inepte enim ille diceretur ablutus & mundatus, qui sordibus esset inquinatus, quas pallio aut veste tegetet; incongruè etiam Aethiopem ut nivem aut lanam dealbari diceremus, si tantum nigredinem suam sub veste candida occultaret: Ergo ex Scriptura in iustificatione verè & proprie delentur & remittuntur peccata, & non solum iustitia Christi teguntur.

C Confirmatur ex illo Apostoli ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso (id est in Christo) ut essetis sancti & immaculati in conspectu eius.* Ubi notandè est particula *in conspectu eius*, talis enim est unusquisque, qualis Deo apparet, cum Deus videat res ut sunt in se: unde si post iustificationem sumus immaculati in conspectu Dei, a parte rei sumus immaculati, & à peccatis verè abluì & mundati, subindeq; illa in iustificatione verè tolluntur & delentur, & non solum teguntur vel occultantur.

D Favent etiam SS. Patres, relati à Bellarmino libro 2. de iustificatione cap. 8. Unus nobis sufficit Augustinus, qui ita clarè hanc veritatem expressit, ut errorem haereticorum nostri temporis praevidisse videatur: nam libro 1. contra duas Epistolas Pelagian. cap. 13. hæc scribit: *Dicimus baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, neque radices peccatorum in mala carne teneri, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum ressecanda peccata.* Et concione 2. Psal. 31. solvit praecipuum haereticorum fundamentum desumptum ex variis Scripturæ locis, in quibus peccata dicuntur à Deo tegi: ibi enim exponens verba illa Prophetæ, *Beati quorum remissa sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata,* sic ait: *Nec intelligatis peccata cooperta esse, quasi ibi sint & vivant, & Deus teget, non tu; nam si tu tegere volueris erubescens, medicus non curabit: medicus tegit, & curat; sub regimine medici sanatur vulnus, sub regimine vulnerati celatur vulnus.* Quibus verbis docet Deum ita tegere peccata hominum, ut revera ea tollat & deleat.

R 3

deleat, eorumque vulnera gratia sua medicina sanet.

6. Ratio etiam suffragatur; Primo, quia si post justificationem peccata non essent in homine, ille simul esset iustus & iniustus; iustus quidem, quia proprius effectus justificationis est reddere hominem iustum, ut ex ipsisterminis constat; iniustus verò, quia cum peccatum deordinet hominem a Deo, est essentialiter iniustitia quadam & iniquitas; sicut gratia dicitur iustitia, quia ordinat homines ad Deum: unde si peccatum manet in homine post justificationem, revera facit illum iniustum.
7. Secundo, Deus passim affirmat amare iustos, odio verò prosequi impios & peccatores: At si iusti haberent tantum peccata recta, & non deleta, reipsa Deus amaret impios & peccatores; cum amor, ut docent Philosophi, rapiatur ab objecto, seu feratur in objectum prout est in se: Ergo &c. Nec valet quod dicunt Hæretici, peccatores tunc iustitia externâ Christi tanquam veste innocentia tegi, & sic esse objectum amoris divini. Non, inquam, valet: quia non obstant iustitia hac externâ Christi, qua dicunt tegi peccatores, illi non desinent a parte rei, & secundum Deum esse immundi & conquinati; & subindeque Deus in objectum inmundum, & inquinatum per amorem feretur.
8. Tertio, ex hac sententia Calvinus sequitur Ecclesiam non habere veram & realem remissionem peccatorum, sed tantum fictitiam, vel impropiam, contra hunc articulum symboli: *Credo unum baptisma in remissionem peccatorum; & contra illud Joan. 20. Quorum remisistis peccata, remittantur eis.* Sequitur etiam, quod Sacramenta novæ legis non verè & proprie auferant peccata, & que mundent animam, contra illud ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ per verbum vite;* & illud Zachar. 13. *Die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatorum, & mensurabitur:* quod SS. Patres & Scripturæ interpretæ exponunt de Ecclesia, in qua est Sacramentum penitentia, omnibus fidelibus patens, quo vere remittuntur peccata, & omnia scelera sanguine Christi delentur.
9. Quarto, hæc sententia est iniuriosa meritis & satisfactionibus Christi, quia vult per imputationem tantum meritorum & satisfactionum non deleri sordes ipsorum peccatorum, sed semper in hominibus quantumvis iustificatis remanere.
10. Denique iustificatio, ut in se ostenditur, fit per infusam gratiam habituales: Sed illa cum peccato est impossibilis, ut etiam infra patebit: Ergo impossibile est, quod post justificationem peccata in homine remaneant, & solum regantur, vel occultentur per iustitiam Christi nobis imputatam.

§. II.

Hæreticorum objectiones solvuntur.

11. **O**bjiciunt imprimis hæretici varia Scripturæ loca, in quibus peccata dicuntur regi, & non imputari a Deo, ut Psalm. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum recta sunt peccata: beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum &c.*
- Sed ad hæc facile responderetur, quod cum nihil sit opertum vel occultum oculis Dei, & omnia peccata nostra sint presentia conspectui eius, juxta illud Psalm. 89. *Posuisti iniquitates no-*

stram conspectu tuo, & seculum nostrum (id est delicta ætatis nostræ) in illuminatione vultus tui; Idem est peccata nostra esse recta apud Deum, ac esse penitus deleta & ablata. Item cum iustitia Dei & lex æterna nullum possint peccatum imputari relinquere, peccata quæ a Deo non imputari dicuntur, hoc ipso destructa & ablata supponuntur. Unde Propheta post verba relata statim addit: *Non est in spiritibus eius dolus: quod significatur, in eo, cui non imputavit Dominus peccatum, dolus, iniquitatem, sive peccatum non esse.* In eodem sensu charitas dicitur operare multitudinem peccatorum, quia ita illa destruit quoad penam, si sit fervens, ut nihil eorum iustitiæ divinæ offeratur puniendum, ut docet D. Thomas in 4. dist. 22. quest. 1. art. 1. ad 2. his verbis: *Charitas dicitur operare peccata Deo, qui omnia videt: unde oportet quod ea destruat, non quidem faciens ut actus non precesserit, sed quod vim impediendi gratiam non habeant.*

Objiciunt secundo: Si peccata in justificatione totaliter destruerentur, nunquam redirent: Sed interdum redeunt, ut significari videtur Matth. 18. ubi Dominus a servo denique peccante exigite omne debitum, quod antea dimiserat: Ergo &c.

Respondeo distinguendo Minorem: Peccata interdum redeunt, formaliter & secundum suas maculas proprias, nego Minorem: virtualiter & secundum quid, quatenus peccatum subleuens ratione ingratitude contra Deum remittentem peccata priora est aliquo modo majus, ut exponit D. Thomas 3. p. qu. 82. art. 1. concedo Minorem, & nego Consequentiam: quia ut peccata sint verè dimissa & sublata, satis est, quod formaliter & secundum proprias maculas non redeant.

ARTICULUS II.

An iustificatio fiat per introductionem formæ inherentis, vel per solam iustitiam Dei, aut Christi nobis imputatam?

Hic nobis rursus manus cum hæreticis conferenda sunt: illi enim, ut articulo præcedenti annotavimus, non solum docent in justificatione peccata verè & proprie non remitti, seu deleri, verum etiam afferunt illam dari formam intrinsicè iustificantem, sed impium iustificari, vel per iustitiam, qua Deus iustus est, vel per iustitiam Christi ipsi imputatam extrinsecè. Pro hujus erroris impugnatione, & veritatis Catholicæ impugnatione, fit

§. I.

Catholica veritas autoritate & ratione stabilitur.

Dico igitur: Causa formalis nostræ justificationis non est iustitia Dei, vel Christi nobis imputata, sed realis & interna quadam iustitia, per quam interius renovamur & sanctificamur, atque ab omnibus peccatorum sordibus realiter emundamur.

Hæc etiam conclusio est certa de fide, & definita in Tridentino sess. 6. cap. 7. his verbis: *Vnica formalis causa (justificationis impii) est iustitia Dei, non quæ ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non solum reputamur, sed verè iusti nominamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes, &c.* Item